

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 9000

**Auteur(s)** : Richard de Bohon, Coutances (évêque)

**Bénéficiaire(s)** : Barthélemy de Vendôme, Tours (archevêque)

**Genre d'acte** : lettre

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [1174-1179]

**Action juridique** : donation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Lettre de Richard, évêque de Coutances, adressée à B[arthélémy], archevêque de Tours au sujet de l'église de Quettreville[-sur-Sienne] qui a été donnée à l'abbaye de Savigny sous le règne d'Henri [1er d'Angleterre].

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Müller Harald, *Päpstliche Delegationsgerichtsbarkeit in der Normandie*, 12. und frühes 13. Jahrhundert, Bonn, Bouvier, 1997, 2 vol., t. 2, p. 162, n° 42, p. 141-143.

## Dissertation critique

Datation proposée par H. Müller.

Texte d'après a

Reuerendis patribus B. Dei gratia Turon(ensi) archiepiscopo eiusque omnibus suffraganeis Ric. eadem gratia Constanciensis ecclesie minister eternam in Domino salutem. Veritatis amatores pro temporis et cause oportunitate ad uerum testificandum alacriter et audacter debent procedere. Inde est igitur, quod partes abbatis et monachorum Sauign(eiensium) super possessione ecclesie de Keteluilla tamquam nota nobis ueritate subnixas presentis pagine testimonio non abnuimus roborare. Audiuimus etenim et pro certo habemus, quod a tempore regis Henr(ici) antiquioris, patris uidelicet Mathildis imperatricis, ipsa predicta ecclesia de Keteuilla donata fuit abbatie de Sauign(eio) per presentationem quorundam uirorum nobilium qui tunc temporis eiusdem ecclesie habebant patronatum, et per canonicam inuestituram predecessoris nostri bone memorie Alg(ari) Const(anciensis) episcopi, per nostram quoque postremo ratihabitionis auctenticam sanctionem. Ad omnem insuper refellendam huius donationis ambiguitatem maximum et manifestum accedit ueritatis iudicium, quod rex predictus cuius auctoritas uniuerse super his mereretur contentioni prescribere, ipsam donationem utpote rationabilem et in presentia sua factam approbavit et per cartam suam prenominate abbatie in perpetuum confirmavit. Quapropter eos qui aduersus abbatem et monachos Sauign(eienses) presumunt contendere super prefate ecclesie possessione, ueritati noueritis indubitabili obiare. Vnde et nos Sansonem clericum de Monte Forti et Gaufr(idum) de Sai eius uicarium qui preter assensum monachorum in ipsa ecclesia ministrare presumpserunt, omnes quoque qui deinceps eis super ipsa ecclesia iniuram seu uiolentiam fecerint, auctoritate apostolica uinculo anathematis sollempniter innodauimus, sententiam hanc nullatenus relaxaturi, donec predictus Sans(o) et eius in hanc malitia complices omnes fructus ex sepe iamdicta ecclesia post motam inter eos litem perceptos supramemoratis monachis ex integro restituerint et de

illata eis iniuria digne satisfecerint. Hoc ipsum etiam, ut fieri faciatis in parrochiis prouincie uestre, ex iniuncto nobis mandato tenemur uobis supplicare.